76

dicit. In illis enim super unum pedem innixus diu stare non potest. Ita omnis superbus et arrogans cito corruit. Et manus id est operatio peccatoris non moveat me: id est non decipiat ut velim superborum imitari. Est autem duplex genus superbiae. Unum quod in corde latet, aliud quod in verbo et opere demonstratur. Unde et tobias sanctus filium monitis salutaribus instruens dicebat: Superbiam numquam in tuo sensu aut verbo dominari permittas. Quod utrumque hic tangit. Cum enim dicit: Non veniat mihi pes superbiae, designat elationem in corde. Cum subiungit: manus peccatoris non moveat me: superbiam in actione. Ibi ceciderunt id est in superbia. Qui operantur iniquitatem. id est omnes mali qui contra aequitatem praeceptorum dei faciunt. Quamvis enim multis modis in peccatis homines corruant. Alius in luxuria, alius in avaritia, ceterisque vitiis, omnes tamen in superbia cadunt, quae est initium omnis peccati. Quia prius homo in corde per superbiam cadit, et iusto iudicio dei in apertam peccati labitur effusionem. Expulsi sunt id est proiecti a dei misericordia et gratia qua salvabantur. Nec potuerunt stare in gradu virtutis quia semper pede superbiae nitebantur.

Noli emulari in malignantibus. Totus iste psalmus moralem habet doctrinam. Instruit enim mores hominum propheta qui in hoc psalmo loquitur. Ne velint imitari malos, docens malorum punitionem et bonorum praemia. Noli emulari in malignantibus. Fuerunt multi et adhuc sunt in plebe fidelium qui videntes malos homines prosperitate gaudentes, rerum copia circumfluere, nihil triste accidere, dubitant de providentia dei, sed fortuitis casibus agi credunt omnia; hi tales solent dicere: Si deus mundum respiceret, numquam mali gloriarentur rebus prosperis, numquam nostra innocentia affligeretur adversis. Dat ergo propheta remedium contra hanc falsam opinationem. Noli inquit malignari in malignantibus, id est noli indignari vel graviter ferre cum malos vides prosperari. Neque zelaveris facientes iniquitatem, id est ne velis illos imitari ut similiter rebus prosperis floreas. Quoniam tamquam foenum velociter arescent et quemadmodum holera herbarum cito decidant. Reddit causam cur non sunt emulandi aut imitandi. Quia videlicet in praesenti vivent. Sicut foenum et holera herbarum cito decident et arescent per mortem. Iuxta quod propheta isaias dicit: Omnis caro foenum et omnis gloria eius quasi flos feni. Exsiccatum est foenum et cecidit flos. Et hoc velociter et cito, licet diu vivere putent. Spera in domino et fac bonitatem. Malis in mundi prosperitate exultantibus et spem suam in rebus caducis ponentibus, tu spera in domino quia talis spes numquam frustratur hominem, numquam decipit. Spera ergo in domino et fac bonitatem, id est persevera in bono opere. Inhabita terram et pasceris in divitiis eius. id est permane in ecclesiae societate. Haec est enim terra quam verus agricola deus excolit ut virtutum fructus suo tempore afferat. Divitiae huius terrae ipse deus est. De quo alibi psalmista inde dicit: Dominus pars hereditatis meae. Quomodo vero his divitiis pascamur ostendit subdens. Delectare in domino. Sive etiam divitiae huius terrae esse possunt intelligi scripturarum mysteria quibus fideles animae delectabiliter saginantur. Delectare in domino non in mundo non in carnis voluptatibus et dabit tibi petitiones cordis tui. Petitio cordis ipse est deus quem solum petere orantes debemus non transitoria et caduca. Revela domino viam tuam. id est dic illi quae pateris et quae desideras. Revela autem dicit non quo domino aliquid lateat ut a nobis discat cum ipsi omnia nota sint, sed ut nobis orando maius desiderium accendamus. Nam beatus paulus hoc agebat cum diceret: video aliam legem repugnantem legi mentis meae. Ecce revelabat quod sustinebat. quid vero vellet revelabat cum subiungeret: Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per iesum christum. Spera in eum et ipse faciet. id est in mente quo deficis ipse veraciter supplebit si in eo spem tuam posueris. Et educet quasi lumen iustitiam tuam. Nunc quidem latet sanctorum iustitia. Cum vero dies iudicii venerit educetur quasi lumen et iudicium tamquam meridies. quia manifestissima luce separabuntur electi a reprobis. Nihil quod enim clarius lucet sol quam meridies. Iterum subditus esto domino. id est humiliare sub potenti manu eius. Et ora eum. id est noli cessare a precibus quia oportet semper orare et non deficere. Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua. Prosperatur quidem sed in via sua, hoc est in praesenti vita. Finita autem via finitur et prosperitas et succedit infelicitas. Desine ab ira et derelinque furorem. Multi sunt qui irascuntur et causantur cur eis prosperitas saeculi non suffragetur. His ergo dicitur: Desine ab ira et derelinque furorem. hoc est noli invidere malis cur floreant in praesenti sicut foenum et noli irasci cur non tibi similiter prosperitas arrideat. Noli emulari ut maligneris. id est noli imitari malos ut sicut illi maligna facias et ad tempus laetis successibus gaudeas. Quoniam qui malignantur exterminabuntur. id est qui mala imitantur exterminabuntur hoc est de caelesti hereditate proicientur. Sustinentes autem dominum id est misericordiam eius exspectantes et spem suam in eo ponentes ipsi hereditabunt terram viventium. hoc est stabiliter et perpetuo possidebunt. Et adhuc pusillum et non erit peccator id est iam non ap

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 76 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/76)